

Letter 438: 17 April [1531], Strasbourg, Capito to Wolfgang Musculus

This extract appeared in the 17<sup>th</sup> century collection of Fecht, VIII, pp. 843-4, no. 34 and has been printed more recently in QGT VII pp. 331-333, no. 248. The manuscript does not appear to be extant.

... quod misericordia erga miseros teneris, vehementer probo, nam quod agitur per illos non est omnino de nihilo. Horreo semper liberam confratrum in illos actionem, cum sciam, quanta reverentia, quam eximio timore praeditus Paulus agebat. Nolim ulla in re Christum in membris suis patientem lacescere convitiis. Seculare ingenium est adversarium circumstantiis odiose premere; rhetorum, amplificare convictorum crimen; minus quam hominis, quod alii commiserint suppresso, malis tribuere et calamitose contumelias dicere. De iuramento quod ab anabaptistis hic exigitur nondum satis convenit. Daniel Mühe sublegit ex fratris nostri Buceri sermonibus saevitiam, prope dixerim, qui omnino contendit, nihil prorsus illis non adimendum. Ego contra obsisto, quod inspectore deo agendum, qui veritatem nobis sacrosanctam esse vult, et tamen de erroribus per omnia abiurandis censere hactenus noluit. Soleo dicere: "vom glauben zu urtheilen ist mir zu hoch." Illud specto, ne quid obstrepam politiae. Ceterum exigere fere solent haec tria: 1) Ne palam traducant verbum. 2) Ne in clanculariam ecclesiam inter se coeant. 3) Jusjurandum politicum ne detrectent, sed more civili jussis magistratus pareant.

Quorsum enim attinet urgere reliqua et frenum injicere spiritui? Nobis ut adversentur, facile permitto, modo publicam pacem ne conturbent. Virtute verbi et officiis nostris reliqua facile conficiemus. Neque dubito apud nos omnia fuisse pridem tranquillissima, si accuratius introspexissemus conscientias hominum; iam saepe res geritur non aliter ac si prophana causa esset, per eos, qui aliorum praejudiciis connixi facile damnant quod ignorant, quos a cursu immoderato retinere frustra tentavi hactenus. Bucerus consentit his, nisi quod ambit praeceptum de paedobaptismo, quod poni hoc tempore nolim; nondum enim admonitione familiari rem satis tentavimus, neque obfirmare repugno tamen, modo calculo meo ne fiat, postquam sciam, evanida esse quae firmamenta paedobaptismi producuntur. Argumenta rerum omnium ex intellectu Christo ego venor, non ex litera meo ingenio ad quodvis propositum contorta. Velimus, nolimus, concedamus oportet secessionem piorum a mundo, aut in Christum violenti deprehendemur. Ceterum reluctor secessum meditantibus, quod eo spiritu nondum sint, qui donis luculentis se consortibus pietatis comprobare possit; sed pro modulo nostro in publicam connitendum assero, ut quam plurimi Christum intelligant et amplectantur. Verum enimvero necesse est, ut expertam indolem pietatis apud eos, qui notiores nobis sint, monitu fraterno promoveamus, censura de reliquis domino permissa, donec ipse revelabit abscondita cordium. Cum Bucero prolixè conferre nondum potui, sed agetur inter nos per hos dies. Si quid certius convenerit, abunde scies. Interea vale et vive more tuo, id est innocenter. Argentorati, 17. aprilis ante lucem. Fratres omnes te resalutant. Uxor Matthaei deplorato morbo decumbit: mihi specula aliqua supererit, si huius diei meridiem attigerit. Consulem Relingerum ex me salutabis.